



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibvs Cvram Animarum administrantibus**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstæ Trevirorvm, 1609**

VIII. Dimissa Concione, concionatori quid agendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40721**

spe commodi adductus, & lucri, munus exerceat suum: nisi volet lepram peccatorum, quã à populo aufert, in se recipere, vt Gieso auaro accidisse legimus, qui lepram in se suscepit, quam Nahamo diuina gratia conuerso abstulerat. 4. Reg. 5.

## CAPVT VIII.

### DIMISSA CONCIONE, CONCIONATORI quid agendum.

**F**INITA concione vbi se in cubiculum Ecclesiastes receperit, gratias aget DEO, quod opera sua in tam sublimi ministerio, vtilique fine, vt voluerit. Repetat memoria errata, quæ concionando commisit, vt se ipse humiliet, vtque alias eadem fugiat. Sic fiet, vt munitus sit aduersus laudes, & adulationes aliorum, & contra cæcum sui amorem, & inanem gloriam: quæ a pertis mendacijs fallunt, & exccant, nisi spiritus sit humilis, atque subactus. Vt autem se ipse humiliter cognoscat, suamq; miseriam, effugiatque adulationes, dicat. *Summe DEVS, quoties hodie contra me miserum peccatorem sententiam dixi? Quantum inter se pugnant apud me dicta, & facta? Tepidus ego, & delicatulus, quam in alios seuerus sum excitando, & repre-*  
ben-



hendendo? contra in me quam mollis sum, & blandus? Mihi ipse quam facile ignosco, ceteris vero minime? Vide quo modo de Evangelica perfectione differere audeat, qui tam longe ab ea distat, violator preceptorum tuorum. Equidem leoni similis videor, qui cauda sua pedum vestigia delet: sic ego operibus, & vitæ vestigijs obscurare videor eam, quam verbo doceo, doctrinam.

Luc. 1.

Psal. 44.

Ioan. 12.

Luc. 16.

Psal. 10.

Si forte dicent amici, fructum te concionando referre, dic cum humili Virgine Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* & cum Propheta Regio: *Dico ego opera mea Regi.* Regis enim cœlestis sunt omnia, quæ cœli ambitu continentur, ipsique omnis gloria debetur. Et hic quidem fructus est grani in terram cadentis, & mortui, cum ipse vult, & quantum ei placet. Nos vero serui inutiles sumus: & cum omnia fecerimus, quæ oportet, nondum satisfacimus. Si forte contra dici inaudieris, nullum ex tuis concionibus fructum apparere satis tibi sit morem gessisse imperanti, quæ res non modici quæstus est. Et dicat: *Saltem, Domine DEVS, quando nulli rei satis idoneus sum, testis esse possum, & præco diuine tuæ voluntatis; prædican s legem tuam ore meo hominibus: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Illud quoque consolationis sit cogitanti, tametsi fructus non appareant hominibus, sæpe tamen DEVM solere clam percipere, corda auditorum mouendo, quæ solus ille scrutatur, & videt, sub hominū

verō



vero aspectum non cadunt. Memineris & Apostolos, & discipulos IESU CHRISTI Euangelium prædicando per totum terrarum orbem, paucos sæpe mouendo, modicum fructum retulisse, quem post mortem illorum, tanquam ex semine natum, colligi DEVS voluit.

Audis fortasse murmur de te natum esse, caue turberis, si causam non dederis: immo gratias DEO age, qui audit detractiones & blasphemias, quas & ille concionatus in terris audiuit, postquam & docendo, & ægrotos sanando omni bono de Iudæis meritus esset. Et quamuis alij per te non profecerint, saltem tibi profuisse videare concionando. Vide quantum te prædicatione Euangelica obstrinxeris, vt eadem quæ alijs præceperis, seruanda tibi esse scias. Si enim contra atque docueris feceris, similis eris sepulcris de albatis, foris quidem albis, & ornatis, intus vero ossibus, & fœtore plenis.

His & similibus meditationibus humilem se Concionator seruet necesse est: & quanto erit humilior, tanto etiam maiores fructus reportabit, eritque gratior DEO Opt. Max. qui perfectissimus est Euangelicæ prædicationis magister, & vnicus humilium Concionatorum Doctor: cui cum Patre, & Spiritu Sancto laus, & gloria in secula seculorum. Amen.

*Laus Deo, gloriosissimæ Virgini Mariæ,  
& omnibus Sanctis.*

FINIS.

*Sol. Jesu Paderb.*



